

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Carmen Quartum. In Festum Paschatos. Gratia Domini Iesu Christi!

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

Pondus', & obsequio sic respondere paternæ
Impletæ fidei, laus ut postrema redundet'.
Pignora sic Abrahæ"; sic terque quaterque beatos
Vos ego custodes pacti, hæredesque * saluto!

CARMEN QUARTUM. IN FESTUM PASCHATOS.

Gratia Domini Jesu Christi!

2. Cor. XIII, 13.

Gratiam Divinam agnoscunt matrem, Fides, Charitas, Spes. Gratia, per Lapsam expulsa; Protevangelio multis modis repetito, & [interea non omisissis pænis pædagogicis, ex amore immisissis] confirmato, cum suis molita est reditum: donec certamen, per CHRISTI officium redemptorium, ad victoriam atque dominium emergens, liberam victricem & Gratiam asseruit. Quocirca officii Paschalis est; Gratia locum dare cordibus obsequiosis, ut hæc ipsa cum Fide, Charitate, Spe, ardentem recipiatur: CHRISTUMq; Redemptorem, toto animo adorare Dominum; & Gratia viribus, morte ac resurrectione acquisitis, Ei servire unico.

Est

meum, propter carnis velamen, oppugnare aggressus est; lumen, inquam, illud absconditum, propter humanitatem, in aspectum cadentem] habes, quo eum superes; ne certamen reformides. Aquam adversus eum oppone, Spiritum oppone; in quo ignita omnia pravi illius tela extinguuntur. Spiritus quidem est, verum dissolvens montes: aqua quidem est, sed quæ ignis extinguendi vim habet. Si inopiam tibi proposuerit [nam hoc quoque Christo proponere, non dubitavit] ac fami tuæ insidias struens, postulat, ut lapides in panes vertantur; ne illius cogitationes ignores. Doce, quæ non didicit; vitalem illum sermonem oppone, qui panis est cælitus missus, ac mundo vitam largitus. &c. (s) Hebr. XII, 1. (t) 1. Cor. IV, 5. (u) Luc. XIX 9. Gal. III, 7. 9. 29. (x) Gal. III, 29. IV, 7. Act. XX, 32. XXVI, 18. Rom. VIII, 17.

ESt rerum Dominus, terrarum est unicus hæres^a
 Omnipotens, fracto victor qui surgit Averno;
 Filius ipse DEI patefactus, CHRISTUS JESUS^b.
 Mortales, mortis domitorem cernite: partam
 Nunc libertatem, regemque agnoscite vestrum^c!

GRATIA sic cantat. roseo quæ vertice ab astris
 Labitur, atque orbem famâ præeunte pererrat^d.
 Circum illam, trinæ Charites, flammantia Matris
 Arma gerunt: invicta *Fides*; *Spes* sancta, futuri
 Nuncia; quæque tenet cognomen amoris, *Agape*^e.
 Quarum hæc, quæ natu celebratur maxima, & una
 Immortalis, (humi quanquam postrema locatur
 Inter eas) fontem æternorum spirat amorum,
 Huc illuc spargens cœlestis spicula flammæ:
 Alma Fides clypeum, magni gestamen Abrami;
 Spesque altam galeam, venturi conscia, præfert^f.

Talis & in primo terrarum vere per auras
 Se Paradisiacas monstravit, tota salutis
 Plena, sed illustri multò præstantior ore,
Gratia; & innocuos diffudit pacis honores:
 Donec ab ore mali serpentis noxia verba

X x 3

Imbi-

(a) *Hebr.* I, 2. *Rom.* VIII, 17. (b) *Rom.* I, 4. (c) *Es.* XXV, 8. *Hos.* XIII, 14.
1. Cor. XV, 54, 55, 56, 57. (d) *Johan.* I, 17, 18. (e) *1. Cor.* XIII, 13.
 (f) *Eph.* VI, 16, 17.

Imbiberent homines *g*. Hinc ista, hinc fugit abacta
 In cœlum: nunquam ipsa sui tamen inmemor, ultrò
 Desertos miserata; petens mitissima lapsis
 Fata, expugnatis truculentâ fraude draconis *h*.
 Et factum est dicto citius; Genitoris ut ulnis
 Confidens, miseris promissa ingentia ferret:
 Fœmineo tandem natum de semine *Christum*
 Affore, qui capite effracto disperderet anguem.
 Corda, *Fides*, pavidis trepidantia mulcet; *Amoris*
 Filia, collaudat Patrem; *Spesq;* omnia firmat.

Ex illo discussæ umbræ; lux reddita menti
 Adami, atque Evæ: quam mox fiducia tanta
 Cepit, ut ex sese nascendum Heroâ putaretⁱ.
 Inde patres olim ac Reges, per secula multa,
 Visere Eum ardebant^k: nec *Gratia* desiit unquam
 Exhilarare animos, divinis sæpe figuris,
 Sæpe novis dictis, manantibus æthere ab alto.

Septimus, ecce! hominum, quo nec constantior
 alter
 Ante DEUM incessit, precibus nec major & armis
 Sidereis, quid non prædixit^l! Deinde Noachus,
 So-

(g) Gen. III, 14. (h) *ibid.* v. 14, 15. (i) Genes. IV, 1. (k) Luc. X, 24.

(l) Gen. V, 24. *Juda* v. 14, 15. AUGUSTINUS, de Civ. D.I. XV, 22.
 Scripsisse nonnulla divina Enoch, illum septimum ab Adam, negare non pos-

Solator visus matriq̃ue patriq̃ue futurus,
 Merso diluviis mundo, solamina in orbem
 Attulit, ereptum ex undis; cecinitq̃ue propheta:
 Attribuens verax *Semo* tentoria, quorum
 E medio natus CHRISTUS sit culmina victor
Japeto illa suo dilataturus, utrique
 Ut *Canaan* servus maneat^l. Tum gratia trinis
 Patribus, Abramo atque Isaac, faustoq̃ue Jacobo,
 Quanta revelavit; secum tribus usa ministris!
 Nonne Fides, Abræ propria, adsignata supernè est,
 Justitiæ vindex? an non coelestis Agape,
 Colla dare altari ac cultro, persuasit Isaco?
 Quidve Jacob, vatem, nisi Spes prænuncia, fecit^m?
Gratia sic porrò Christi prælusit acerbis,
 Atque sequuturis fatis melioribusⁿ: arcens
 Compede Josephum, mittensq̃ue in regia sceptrasⁿ;
 Et mox dimittens populum, per dura flagella,
 Perq̃ue minas varias, & per miracula dena,

In

sumus: quum hoc in Epistolâ Canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone scriptura, qui servabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum. Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectæ Fidei judicata sunt; nec, utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri: non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè servasse. (l) Gen. V, 29. IX, 26, 27. (m) Gen. XV, 6. XXII, 7, 8, 9. XLIX, 1. Petr. II, 11. (n) Gen. XXXVII. XXXIX. XL, XLI,

In libertatem; atque iterum in deserta, per æquor;
 Perque quater denos annos, (mirabile dictu)
 In terram optatam ^o. Vel, quæ discrimina rerum
 Sancta fuere unquam, quæ non mortalibus ægris
 Prodiderint, Nati missurum sanguine palmam
 Esse DEUM; tanquam, exortum post nubila solem ^p?

Adspice, quantum instar bis senis fortibus insit
Judicibus, pœnas dio qui robore tollunt ^q,
 Immissas stolidæ genti: quàm turpibus *Eli*
 Occubet exitii plagis, vetus ille Sacerdos ^r:
 Quàm constans contrà Messia præstet honorem
 Divinis, *Samuel*, sacris, divinus & omni
 Muneris ac lucri contemptu, & amore salutis
 Æternæ plenus ^s. Sunt hæc documenta ministri,
 Quem totum Christi Domini possedit amator
 Spiritus ^t! Et tibi *Saul*, ô rex prædure, procacis
 Naturæ effigies; unde hic successor, imago
 Lætior, *Isaides* ^u? sed tu sævissimus ipsum
 Persequeris frustra: victrix nam gratia tandem,
 Quod Fidei manibus, telisque ardentis Amoris,
 Luminibusque Spei interea perfecerat aurum,

Vi-

(o) *Exod.* XI. XII. XVI. *Sap.* X. *Aetor.* VII, 36. (p) *Luc.* XXIV, 26, 27.

(q) *vid. Judic. Lib.* (r) 1. *Sam.* II, 29. III, 13. IV, 18. (s) 1. *Sam.* XII, 4, 5.

(t) 1. *Sam.* II, 35. (u) *ibid.* c. XIII, 14.

Victori imposuit *. Nec verò is tantus amato
 Condere templa DEO potuit, quia multa cruore
 Dextra madebat ei †. en, quàm puris Numina palmis
 Thura precesque dicant! *Davidis* filius ergò,
 Imbellis juvenum regumque honor ille, sacrabat
 Cœlorum Domino sedem, *Salomon Salomoni*,
 Portanti pacis non enarrabile donum ‡.

Mox nubes vatum, Fidei fulgentibus alis
 Vecta, truces tenebras, quibus horrida sacra Deorum
 Ingruerent, urfit †: cùm sic, lacrymantis *Agapes*
 Lingua, queri audita est. Quæ vos infania turbat,
Judæi, ô Patrum Spes unica? cur decus unum,
 Unum præsidium vestrum, vos pectore duro
 Spernitis! Ecce! DEUS tanto vos mitis amore
 Quærit aberrantes, ut, quos non miserat olim,
 Vobis tam cœcis divinâ voce Prophetas
 Agmine jam denso sistat; qui maxima CHRISTI
 Fata futura canunt, promissi è sanguine vestro.

Taliaque incassum ingeminans Eadem ipsa, paterno
 Ex jussu, resides Babylonem abduxit eosdem;
 Si qua via, ut miseros Spes emendaret amoena ‡.

Y y

Hæc

(x) 2. Sam. II, 4. (y) 1. Paralip. XXIII, 8. (z) *ibid.* v. 9, 10. Job. XIV, 27.

(a) Sirac. XLVII, 29, 30, 31. XLVIII. XLIX. Matth. XXIII, 35. (b) Sap.
 XII. Apoc. III, 19.

Hæc illos *decies septem* formavit in annis,
 Quos captis proprios pridem patefecerat antè.
 Atque his exactis, Solymarum ad fracta reduxit
 Moenia eos fractos, tanquam de morte profundâ
 Surgentes; nec non docuit, certè adfore Christum
 Post septemgeminos prædicti temporis orbis.
 Secula paulatim quina effluxère: sed isto
 Tempore vix pauci, *Dominum*, exspectare parato
 Corde laborabant. tanta inclementia Fati
 Adversum indignos! latitabat Gratia; flebant
 Mœsta *Fides*, & mœstus *Amor*; stupefacta stetit
Spes!

Denique, completo spatio ac lætantibus astris,
 Venerat unctorum sanctissimus; hora petita
 Venerat: ast, nondum tamen omnes Gratia læta
 Pandere thesauros poterat; dum vinceret orcum
 Morte suâ, & victo referaret funere vitam
 Ipse is, ab æterno qui lux, qui vita salusque est^d.

Ecce autem, quæ nunc lætissima festa coluntur!
 Mortuus, en! vivit: sanctâ de morte resurgens,
 Nunc præstò est verè *Dominus*, frenator Abyssî,
 Et necis, & culpæ; qui se de Virgine natum,

Atque

(c) *Dan. IX, 2, 24, 25, 26.* (d) *Joh. VII, 39.*

Atque infinito genitum de Numine monstrat
 Ipse potens, auramque suo de fonte receptam.
 Gratia sic vires nacta est; Charitesque triumphant:
 Salve, ajunt, *Genitrix*, ô fortunata Magistra!
 Nunc, CHRISTI JESU DOMINANTIS GRATIA,
 regnas!

Sed vos, ô lætæ, permittite, quæso! ministri
 Ut vestri expromant justo ordine munera vestra,
 Quæ noster DOMINUS, telluris carcere rupto,
 Protulit, ac per vos mater regina ministrat;
 Si nos haud vanos veræ docuistis amicæ.
 Exemplo Mariæ, lacrymas ante ora sepulcri
 Fundimus: hîc flemus peccata & crimina cuncta.

Jamque *Fides* primo occurrit blandissima visu:
 Sic decet omnino; sic, inquit, mortis amaror
 Gustandus, si viva juvat solatia Verbi^b

Y y 2

Car-

(e) *Job. X, 18.* (f) *2. Cor. XIII, 13.* (g) *Job. XX, 11.* BERNHARDUS, finiens parabolam de Fide, Spe & Charitate; tanquam Regis filiabus, quibus Hic animam humanam, ut civitatem propriam, delegavit. In mensâ Fidei, panis ponitur doloris, & aqua angustie, & cetera pœnitentie fercula. In mensâ Spei, panis confortans, & oleum exhilarans faciem, & cetera consolationis fercula. In mensâ charitatis, panis vitæ, vinumque, letificans, & omnes deliciae paradisi. Jam ingrediuntur, & epulantur, & custodiunt civitatem. Sed, nisi DOMINUS custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. (h) *Sirac. IV, 18, 19, 20, 21. LL, 35. 2. Cor. VII, 10.*

Carpere! tum verò dulcissima nomina JESU
 Explicat, humanis quàm sit fiducia rebus
 Nulla, nisi infernas vires superâsset, ad ima
 Descendens, Superûm Princeps, tumuloque recluso
 Vincula solvisset tenebrarum. hoc tantum opus olim
 Signatum esse, monet; fructumque in mentibus
 altis,

Justitiæ pacem, libertatemque beatam,
 Præsidium duris durans in rebus utrumque,
 Et plures parere, ardescens quos præstet *Agapei*.

Protenus hæc inquit: CHRISTUS quæ dona pa-
 ravit,

Gustanda ungendis animarum sensibus, inde
 Offero cuncta libens ^k. Simul hoc; simul, accipite,
 inquit,

Ambrosiæ nectar divinum! cujus odores
 Impia corda etiam ignotâ dulcedine tentant;
 At succos nemo libat, nisi pectora sancto
 Peccatorum odio liquefacta ^l. Est Spiritus ipse,
 Victoris *Domini*: quo pax, quo vita, salutis
 Libera sensa ferens, hauritur; adoptio firmas
 Radices altè sentit, pignusque bonorum

Vi-

(i) 2. Cor. VIII, 9. 2. Tim. I, 12. (k) Rom. V, 2, 3, 4, 5. (l) Act. VIII,
 13, 21, 22, 23.